

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XII - N. 1

1980

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1980

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutiones

- I. Ad Victores XXII Certaminis Vaticani et ad Moderatores et Socios
Operis Fundati « Latinitas » 3
- II. Ad Praelatos Auditores Sacrae Romanae Rotae ineunte anno iudiciali 6
- III. Ad Unionem Iuristarum Catholicorum Italiae 12
- IV. Ad participes VII Cursus Renovationis Canonicae a Pont. Univer-
sitate Gregoriana promoti 15

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

- Decisio diei 26 aprilis 1980 (Null. matr.: restitutionis in integrum) 18

Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis

- Responsa ad proposita dubia 23

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum

- I. Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali » 25
- II. Coetus studiorum « De Populo Dei » 48
- III. Coetus studiorum « De Institutis vitae consecratae per professio-
nem consiliorum evangelicorum » 130
- IV. Coetus studiorum de Processibus: « De iudicio criminali » 188

- NOTITIAE 200

IV

COETUS STUDIORUM DE PROCESSIBUS

Praeside Card. P. Felici, moderante Exc.mo R.I. Castillo Lara, Secretario Commissionis, relatore Prof. Pio Ciprotti, actuario F. Voto, Coetus specialis « De Processibus » (cf. *Communicationes* 10, 1978, p. 209) VII Sessionem habuit diebus 26, 28 et 29 februarii 1980, in qua prosecutus est labor ad examinandas animadversiones quae ab organis consultationis prolatae sunt circa Schema canonum de iure processuali.

Adunatio diei 26 februarii 1980

PARS QUARTA

DE IUDICIO CRIMINALI

Art. 1

DE PRAEVIA INVESTIGATIONE

Can. 380


§ 1. *Quoties Ordinarius notitiam, saltem veri similem, habeat de delicto, caute inquirat, per se vel per iudicem aliumve idoneum hominem, circa facta et circumstantias et circa imputabilitatem.*

§ 2. *Cavendum est ne ex hac investigatione bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur.*

§ 3. *Qui investigationem agit, easdem habet, quas auditor in processu, potestates et obligationes; idemque nequit, si postea iudicialis processus promoveatur, in eo iudicem agere.*

— Quoad rubricam IV partis suggestum est ut inscribatur « De iudicio poenali » loco « criminali ». Consultores stant pro adhibendo verbo « criminali », quia in Libro de iure poenali distinguitur actio poenalis (ad poenam exsequendam) et actio criminalis (ad poenam infligendam vel declarandam).

Aliquis Consultor proponit ut inscribatur « De processu ad poenas infligendas vel declarandas ». Haec inscriptio bona videtur aliis Consultoribus, quia etiam alibi finis processus enunciatus est in ipsa inscrip-



tione, ex. gr. « De processu ad matrimonii nullitatem declarandam »; attamen, cum in canonibus passim adhibeatur locutio « processus criminalis », melior videtur inscriptio « De processu criminali ».

— Suggestum est ut aliquod monitum praemittatur circa usum processus criminalis, qui restringi debet ad casus tantum verae necessitatis. Consultores respondent de hac quaestione iam provisum esse in libro de iure poenali.

— Nonnulli animadverterunt in praesenti schemate adhiberi semper verbum « Ordinarius », dum in aliis partibus iuris processualis adhibetur verbum « Episcopus dioecesanus ». Consultores respondent id consulto factum esse, quia normae huius schematis valent quoque pro Ordinariis religiosorum.

— Nonnulli conquesti sunt eo quod in novo schemate omissa sint quaedam principia restrictiva quae habentur in CIC, ex. gr.:

a) non cadunt sub processu criminali nisi delicta *publica* (can. 1933 § 1). Consultores respondent id implicite innui ex eo quod processus fieri nequit nisi accedentibus probationibus; probationes vero haberi nequeunt nisi delictum publicum sit;

b) regulariter procedi non debet in delictis mixti fori, quando civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono iam satis consulit (can. 1933, § 3). Consultores respondent de hac quaestione provisum esse in schemate de iure poenali;

c) nihil faciendae sunt denunciationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, aut anonymae sint ... (can. 1942, § 2). Consultores respondent talem normam esse superfluum, cum prudentiae Episcopi pertineat caute in his casibus agere.

— Aliqui suggererunt ut addantur normae de correptione delinquentis, sed Consultores respondent tales normas haberi in Libro de iure poenali.

— Quidam proposuerunt ut in can. 380 § 1 dicatur: « ... notitiam habeat *de legis poenalis violatione* ... » loco « de delicto ». Propositio non placet Consultoribus quia satis est ut processus instituaturs quando adsit delictum.

— Suggestum est ut in can. 380 § 1 deleantur verba « per iudicem », quia superflua videntur. Haec propositio placet Consultoribus.

— Nonnullis praeferenda videntur verba « per idoneam personam » loco « per idoneum hominem » ut clarius pateat mulieres non excludi. Unus Consultor favet huic propositioni sed alii Consultores

non concordant, eo vel magis quod « persona » potest esse sive physica sive iuridica.

— Quidam suggererunt ut in § 1 dicatur « ... circa fundamentum imputabilitatis » loco « circa imputabilitatem ». Propositio non placet Consultoribus quia nimiam subtilitatem sapit.

— Aliquis Consultor, ex suggestione alicuius organi consultationis, proponit ut addatur § 4 his verbis: « Quoties agatur de delicto omnino certo, haec investigatio praetermitti potest ». Propositio placet Consultoribus, attamen, suggerente altero Consultore, loco novae §, haec clausula additur § 1^{ae} « nisi haec inquisitio omnino superflua videatur ».

Can. 381

§ 1. *Cum satis collecta videantur elementa, deliberet Ordinarius:*

1) *num processus ad poenam irrogandam vel declarandam promoveri possit;*

2) *num id, attento can. 27 (schematis generalis de delictis et poenis), expediat;*

3) *utrum processus iudicialis sit adhibendus an sit procedendum per decretum extra iudicium.*

§ 2. *Ordinarius decretum, de quo in § 1, revocet vel mutet, quoties ex novis elementis aliud sibi decernendum videatur.*

§ 3. *In ferendis decretis, de quibus in §§ 1 et 2, audiat Ordinarius, si ipse prudenter censeat, duos iudices aliosve iuris peritos.*

§ 4. *Antequam ad normam § 1 deliberet, consideret Ordinarius num, ad vitanda inutilia iudicia, expediat ut, partibus consentientibus, vel ipse vel investigator quaestionem de damnis ex bono et aequo dirimat.*

— Ex suggestione alicuius organi consultationis placet Consultoribus verbum « decernat » loco « deliberet ».

— Aliqui praescribere vellent ut Ordinarius audiat promotorem iustitiae antequam decernat. Consultoribus vero non placet interventus promotoris iustitiae in hoc stadio causae. Item Consultoribus superfluum videtur praeceptum dare Ordinario ut petat suffragium auditoris antequam decernat; ipse Ordinarius enim ita sane agit, quin dicatur expresse.

— Aliqui suggererunt ut non admittatur irrogatio vel declaratio poenae per decretum extra iudicium, ita ut reo praesto sint media processualia ad sese defendendum. Consultores respondent sufficienter in novo iure provisum esse tutelae rei, quia decretum Ordinarii impugnari potest sive apud superiorem sive apud tribunal administrativum.

— Nonnulli proposuerunt ut in fine § 1, n. 3 addantur verba « nisi reus expresse petat processum iudicalem ». Suggestio non placet Consultoribus.

— Consultores, ob suggestionem ab aliquo organo consultationis factam, ita § 1, n. 3 mutant: « utrum processus iudicialis sit adhibendus an, *nisi lex vetet*, sit procedendum per decretum extra iudicium ».

— In § 4 dici debet « decernat » loco « deliberet ».

Can. 382

§ 1. *Si delictum puniri non possit nisi praecesserit querela partis laesae, Ordinarius processum, ad normam can. 381, promovere non potest, nisi parte laesa scripto petente.*

§ 2. *Revocata autem querela, actio criminalis extinguitur.*

— Casus cui providetur in hoc canone, quod scilicet delictum puniri non possit nisi praecesserit querela partis laesae, est mere hypotheticus, si scilicet ita decreverit ius particulare; in iure enim communi non datur hoc praescriptum. Hac de causa aliquis Consultor proponit ut neque iuri particolari concedatur haec facultas, et ideo can. 382 supprimatur. Propositio omnibus consultoribus placet.

Can. 383

Investigationis acta et Ordinarii decreta, quibus investigatio initur vel clauditur, eaque omnia quae investigationem praecedunt, si necessaria non sint ad criminalem processum, in secreto curiae tabulario custodiantur, servato praescripto can. (379 § 1 CIC).

— Consultores censent ultima verba huius canonis « servato praescripto can ... » esse superflua.

Adunatio diei 28 februarii 1980

Art. 2

DE PROCESSUS EVOLUTIONE

— Antequam examinentur canones schematis qui agunt de processus iudiciarii evolutione, aliquis Consultor quasdam animadversiones facit circa opportunitatem statuendi aliquam proceduram, etsi ad minimum reductam, pro casibus in quibus poena infligenda vel declaranda sit per decretum extra iudicium, ita ut vitentur abusus. Ad huiusmodi enim decreta in re poenali ferenda non sufficere videntur cautiones praescriptae in canonibus de Normis Generalibus. Cum omnes Consultores concordent circa opportunitatem statuendi talem proceduram, nisus quidam habentur ad formulationem novi canonis. Tandem duo formulae canonis praebentur.

Formula I:

« Ut decretum vim habeat, oportet:

- 1) antea reo accusatio, data ei facultate sese defendendi, significata sit, nisi reus, rite vocatus, comparere neglexerit;
- 2) in ipso decreto, breviter saltem, exponatur quibus rationibus in facto et in iure punitio innitatur ».

Circa hanc formulam, aliquis Consultor censet adhuc complendam esse per alia elementa uti comprobatio argumentorum et probationum per duos assessores, necnon ratio agendi in edendo decreto.

Formula II:

« Ad poenas per decretum extraiudiciale infligendas superior, ut valide agat:

- 1) imputato denunciatum delictum manifestet, indicatis eiusdem probationibus eumque invitet ut scripto se defendat (respondeat);
- 2) rationes forte ab imputato allatas cum duobus assessoribus accurate examinet;
- 3) tandem si de delicto certo constet et imputatus nullas rationes aut inefficaces attulerit, decretum poenale ferre potest in quo, breviter saltem, exponatur quibus rationibus in facto et in iure punitio innitatur ».

Consultores censent secundam formulam esse nimis scholasticam et praeferunt primam formulam complere; ideo collatis consiliis, ita canonem redigunt:

« *Can. 383 bis.* - Si Ordinarius censuerit per decretum extra iudicium esse procedendum:

1) reo accusationem atque probationes, data facultate sese defendendi, significet, nisi reus rite vocatus comparere neglexerit;

2) probationes et argumenta omnia cum duobus assessoribus accurate perpendat;

3) si de delicto certo constet neque actio criminalis sit extincta, decretum ferat ad normam cann. 32-40 (de delictis et poenis), expositis, breviter saltem, rationibus in iure et in facto ».

— Consultores decernunt ut hic novus canon ponatur sub Art. 2 « De processus evolutione » et fiat can. 383 bis.

Can. 384

§ 1. *Si Ordinarius decreverit processum criminalem iudiciale esse ineundum, acta investigationis promotori iustitiae tradat, qui accusationis libellum iudici ad normam cann. 138 et 140 exhibeat.*

§ 2. *Coram tribunali superiore, sive in iudicio de admittendo libello sive in iudicio de impugnatione, partes actoris gerit promotor iustitiae apud illud tribunal constitutus.*

— Nonnulli ex textu § 2 arguerunt tamquam si *tantum* in tribunali superiore promotor iustitiae partes actoris gerat; quod non respondet rectae interpretationi canonis. Tamen Consultores, ad vitandam talem interpretationem, decernunt ut in § 1 addatur: « ... promotori iustitiae tradat, qui, *partem actoris gerens*, accusationis libellum iudici ... ».

— Aliquis Consultor proponit ut expungantur e § 2 haec verba utpote superflua: « sive in iudicio de admittendo libello sive in iudicio de impugnatione ». Haec propositio placet 3, non placet 1.

— Nonnulli suggererunt ut hic ponatur norma quae in fine huius schematis invenitur, nempe:

« Ad scandala praevenienda, ad testium libertatem protegendam, ad iustitiae cursum tutandum, potest Ordinarius, audito promotore iustitiae et citato ipso accusato, in quolibet processus stadio accusatum a sacro ministerio vel ab aliquo officio vel munere ecclesiastico arcere, ei imponere vel interdicare commorationem in aliquo loco vel territorio, vel etiam publicam sacrae Synaxis participationem prohibere; quae omnia, causa cessante, sunt revocanda, eaque ipso iure finem habent, cessante processu criminali ».

Consultoribus placet suggestio hic ponendi talem normam. Ad recognitionem huius normae quod attinet, non placet suggestio cuiusdam organi consultationis dicendi « ... ei paterne instanterque suadere ne commoretur in aliquo loco » loco « ei imponere vel interdicere commorationem in aliquo loco ».

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « ... publicam *SS.mae Eucharistiae* participationem ... » loco « sacrae Synaxis participationem ». Suggestio haec omnibus placet.

Can. 385

§ 1. *Iudex reum citans debet eum invitare ad advocatum, ad normam can. 87, § 1, intra terminum ab ipso iudice praefinitum, sibi constituendum.*

§ 2. *Quodsi reus non providerit, iudex ante litis contestationem advocatum ipse nominet, tandiu in munere mansurum quandiu reus sibi advocatum non constituerit.*

— Nonnulli proposuerunt ut in § 1 praeciatur iudici ut reo nomen accusatoris patefaciat. Suggestio non placet Consultoribus, quia manifestatio nominis accusatoris non videtur opportuna, imo aliquando potest esse nociva. Necessarium est enim ut investigationes fiant et probationes habeantur de delicto. Quod si accusatio habeatur uti probatio in processu, tunc accusator evadit testis et, qua testis, eius nomen patefieri debet.

Can. 386

§ 1. *In quolibet iudicii gradu renuntiatio instantiae fieri potest a promotore iustitiae, mandante vel consentiente Ordinario, ex cuius deliberatione processus promotus est.*

§ 2. *Renuntiatio, ut valeat, debet a reo acceptari, nisi ipse sit absens a iudicio.*

— Ex suggestionem facta ab aliquo organo consultationis, placet Consultoribus ut in § 2 dicatur: « ... nisi ipse sit a iudicio absens declaratus ».

Can. 387

In causae discussione, sive scripto haec fiat sive ore, accusatus semper ius habeat ut vel ipse vel suus advocatus vel procurator postremus scribat vel loquatur.

— De sententia quorundam organorum consultationis iste canon in duas §§ dividi posset: in § 1 agatur de iure accusati in causae discussione scripto facta, in § 2 de iure accusati in causae disputatione ad normam can. 263 § 2. Suggestio non placet Consultoribus quia formula uti iacet est satis clara et melius respondet variis casibus discussionis causae qui habentur in cann. 261-264.

Can. 388

In quolibet criminalis iudicii gradu et stadio, si evidenter constet delictum non esse a reo patratum, iudex debet id sententia declarare et reum absolvere, etiamsi simul constet actionem criminalem esse extinctam.

— De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Art. 3

DE ACTIONE AD DAMNA REPARANDA

Can. 389

§ 1. *Pars laesa potest actionem contentiosam ad damna reparanda ex delicto sibi illata in ipso criminali iudicio exercere, ad normam can. 252.*

§ 2. *Interventus partis laesae, de quo in § 1, non amplius admititur, si factus non sit in primo iudicii criminalis gradu; neque potest pars laesa oppositionem tertii adversus sententiam latam in iudicio criminali proponere.*

§ 3. *Appellatio in causa de damnis fit ad normam cann. 285-296 etiamsi appellatio in criminali iudicio fieri non possit; quodsi utraque appellatio, licet a diversis partibus proponatur, unicum fiat, salvo praescripto can. 390, iudicium appellationis.*

— Quidam dubitaverunt de opportunitate permittendi ut actor

causae de damnis accedat ad acta processus criminalis, quae secreta manere debent; publicatio enim actorum fit tantum in favorem rei.

Consultores censent normam mutari non posse, quia si probationes non publicarentur, iam deficeret ratio processus iudicialis.

Can. 390

§ 1. Ad nimias criminalis iudicii moras vitandas potest iudex iudicium de damnis differre usque donec sententiam definitivam in iudicio criminali protulerit.

§ 2. Iudex, qui ita egerit, debet, post latam sententiam in criminali iudicio, de damnis cognoscere, etiamsi iudicium criminale propter propositam impugnationem adhuc pendeat, vel si reus absolutus sit propter causam quae non auferat obligationem reparandi damna.

— Est qui censeat adesse contradictionem quandam inter § 1 et § 2; nam in § 1 dicitur « differre usque donec sententiam definitivam ... protulerit », et in § 2 « etiamsi iudicium criminale ... adhuc pendeat ».

De sententia Consultorum vero nulla habetur contradictio quia « sententia » de qua in § 1 est in 1° gradu, et « iudicium pendens », de quo in § 2, est in 2° gradu. Consultores tamen, ut formula canonis clarius evadat, decernunt ut in § 2 dicatur: « ... debet, postquam sententiam tulerit in criminali iudicio, de damnis cognoscere ... ».

Can. 391

Sententia lata in criminali iudicio, etiamsi in rem iudicatam transierit, nullo modo ius facit erga partem laesam, nisi haec intervenerit ad normam can. 390.

— De hoc canone factae non sunt animadversiones.

Adunatio diei 29 februarii 1980

Art. 4

DE IMPUGNATIONIBUS

Can. 392

§ 1. *Appellationem proponere potest reus, nisi de aliquo (sententiae) capite iam duplex habeatur sententia conformis:*

- 1) *si sententia poenalem sanctionem irrogaverit vel declaraverit;*
- 2) *si sententia reum ideo tantum dimiserit, quia poena erat facultativa, vel quia iudex potestate usus est, de qua in cann. (12 § 2, et 30 schematis generalis de delictis et poenis).*

§ 2. *Promotor iustitiae appellare potest, quoties sententia nullam poenalem sanctionem in reum irrogaverit vel declaraverit, nisi duplex habeatur de ea re conformis sententia.*

§ 3. *Si reus de pluribus delictis est accusatus, normae §§ 1 et 2 separatim de unoquoque delicto sunt applicandae.*

— Aliquis Consultor censet hunc canonem supprimi posse quia valent normae generales de appellatione, sed alii Consultores volunt ut hic canon reformetur ita ut contineat illas tantum normas pro appellatione quae peculiares sunt in processu poenali, praeter normas generales de appellatione.

Unus Consultor proponit ut § 1 ita redigatur: « Appellationem proponere potest reus etiam si sententia ipsum ideo tantum dimiserit, quia poena erat facultativa, vel quia iudex potestate usus est, de qua in cann. 34 et 35 (de delictis et poenis) ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 4, non placet 1.

Duo Consultores proponunt ut nihil dicatur de promotore iustitiae, cum valeant normae generales, sed alii Consultores non ita sentiunt et ideo alter Consultor proponit ut § 2 ita redigatur: « Promotor iustitiae appellare potest quoties censeat scandali reparationi vel iustitiae restitutioni satis provisum non esse ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 4, non placet 1.

— Quoad § 3 omnes Consultores concordantes sunt ut supprimatur.

— Consultores decernunt ut can. 392 ponatur sub art. 2 « De processus evolutione » et fiat can. 388 bis.

Can. 393

§ 1. *Promotore iustitiae appellante et appellationem prosequente, iudex appellationis debet statim, audito suo promotore iustitiae, videre num forte appellatio fundamento evidenter careat, ideoque in limine sit reicienda.*

§ 2. *Promotori iustitiae tribunalis appellationis firum manet officium et ius de quo in can. 386.*

— De sententia cuiusdam Consultoris, cum mutatus sit can. 392 § 2, non est ratio sustinendi can. 393, qui deleri potest; valent enim normae generales de appellatione. Etiam alii Consultores concordant ut canon deleatur.

Can. 394

Querela nullitatis sanabilis, de qua in can. 279, nisi proponatur una cum appellatione, proponenda est intra tres menses a die quo sententia publicata est.

— Consultoribus placet hunc canonem suppressere quia haec norma iam habetur in canonibus generalibus 280 et 282.

Can. 395

Restitutio in integrum propter motiva, quae in can. 299 § 2, nn. 1-3 recensentur, ab uno reo peti potest; propter legis praescriptum evidenter neglectum peti potest intra tres menses a die quo sententia publicata est.

— Quidam suggesserunt ut facultas petendi restitutionem in integrum non reservetur uni reo, sed concedatur quoque promotori iustitiae. Suggestio placet Consultoribus et ideo totus can. 395 supprimitur, quia valent normae generales.

Art. 5

NORMA GENERALIS

Can. 396

§ 1. *Salvis praescriptis canonum huius tituli, in iudicio criminali applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis de causis quae ad bonum publicum spectant.*

§ 2. *Accusato nullum iusiurandum deferri potest.*

— Nonnulli suggererunt ut in iudicio criminali applicentur canones de iudicio contentioso orali, ut processus celerior evadat. Consultoribus non placet haec propositio, quia in casu urgentis necessitatis procedi potest per decretum extra iudicium.

— Iuxta deliberationes factas occasione recognitionis can. 172, formula can. 396 § 2 ita redigi debet: « Accusatus ad confitendum delictum non tenetur, nec ipsi iusiurandum deferri potest ».

— Consultores decernunt ut hic canon ponatur sub art. 2 « De processus evolutione » et fiat can. 388 ter.

* * *

Consultores censent in novo Schemate de Processibus haberi lacunam quae compleri debet. Desunt scilicet canones de causis contra validitatem sacrae Ordinationis.

Consultores suas sententias proferunt circa necessitatem huiusmodi proceduram apparandi ad instar canonum qui habentur in CIC (cc. 1993-1998). Ideo, collatis consiliis, ita schema canonum redigunt:

Can. 1: Validitatem sacrae ordinationis ius habent accusandi sive ipse clericus, sive Ordinarius cui clericus subsit vel in cuius dioecesi ordinatus sit.

Can. 2: § 1. Libellus mitti debet ad competentem Sacram Congregationem, quae decernet utrum causa ab ipsa Sacra Congregatione an a tribunali ab ea designato sit agenda.

§ 2. Misso libello, clericus ordines exercere ipso iure vetatur.

Can. 3: Si Sacra Congregatio causam ad tribunal remiserit, serventur, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario, salvis praescriptis huius tituli.

Can. 4: In his causis defensor vinculi iisdem gaudet iuribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis.

Can. 5: Post secundam sententiam quae nullitatem sacrae ordinationis confirmaverit, clericus omnia iura statui clericali propria amittit et ab omnibus obligationibus liberatur.

Unus Consultor non approbat formulam can. 5, quia, si sacra ordinatio fuerit nulla, dici non potest de *liberatione* ab oneribus vel de *amissione* iurium, quae numquam clericus habuit. Alii Consultores autem censent talem clericum revera habuisse *statum clericalem*, quamvis ex

titulo putativo, et post declarationem nullitatis sermo fieri potest de amissione iurium ac de liberatione ab oneribus.

Hoc schema canonum « De causis ad sacrae ordinationis nullitatem declarandam » poni debet in Libro « De Processibus », Parte III, « De iudiciis specialibus » (F. Voto, *Actuarius*).

Notitiae

Em.mi DD. Cardinales AUGUSTINUS CASAROLI, Secretarius Status Sanctitatis Suae, et SILVIUS ODDI, Praefectus S. Congregationis pro Clericis, inter Sodales Commissionis nostrae adnumerati sunt. Fausta et felicia cuncta iis ex corde ominamur.

* * *

Ill.mus D. MARIUS PETRONCELLI, nostrae Commissionis Consultor, Iudex Constitutionalis Reipublicae italicae nominatus est. Omnia bona et prospera.

* * *

In pace Christi quieverunt Card. ALAPHRIDUS BENGSCHE, Archiepiscopus Berolinensis, nostrae Commissionis Sodalis, D. CLAUDIUS C. M. FLUSIN, Episcopus olim S. Claudii, D. IDELPHONSUS SANSIERRA ROBLA, Archiepiscopus Sancti Ioannis de Cuyo, P. SEVERINUS ALVAREZ MENENDEZ O.P. et P. THOMAS R. GALLAGHER O.P. nostrae Commissionis Consultores.

Coronet eos Pater misericors praemio iustitiae.